ORATIO PRO LEGE ELECTIONIS AD MAIESTATEM REGIAM, AMPLISSIMVM SENATVM, ET ORDINES REGNI.

Cui addita est in fine deliberatio de bello Turcico,

SERENISSIMO AC POTENtissimo STEphano Dei gratia Regi Poloniæ & magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ &c. necnon Principi Transyluaniæ &c. Domino suo clementissimo.

HOc qualecunq; honorarium obuiam mittit fidelis subditus M. V. quod vt legat, aut saltem perlegi, ad leuandum fastidium tam longi itineris M. V. coram se iubeat, etiam atque etiam rogo. Volui de declaratione legis electoriæ cogitantibus, ac veluti vadum aliquod ingressuris primam glaciem perfringere. Volui ius electionis quod vestræ M. & serenissimæ infanti Poloniæ diuinitus obtigit, asserere & declarare. Volui deniq; sponte ꝑperātibus ad cōcordiā & consensum, (q̄d vnicè per literas & oratorē suū M. V. exoptat) animū addere. Nescio tandem si hoc effecerim q̄d volebā. Si non effeci voluntatē saltē & conatū piū erga Patriā M. V. acceptet & collaudet. Cæterum q̄d cōsiliis nostris defuit, hoc supplebit hauddubiè aduentus M. V. qui vt maturus sit & faustus Deū fontē perennē omnium bonorū obnixè precamur.

Fidelis subditus M. V.

Stanislaus Sarnicius.

ORATIO PRO LEGE ELECTIONIS.

Ad amplissimum Senatum & Ordines Regni, CRAcouiæ ad Commicia Coronationis congregatos.

DIcentem me de lege electionis à Sigism: Rege perenni memoria dignissimo lata, Magnifici Nobilesq; Equites Poloni, æquis auribus, quod vnum expeto, audiatis. Quod enim hoc argumentum mihi delegerim, infinita propemodum pericula, quæ Patria nostra post Lodouicum quinquennium, nunc verò à morte Augusti quatuor annos pertulit, & etiamnum perferre non cessat, me cogunt. Neque hic expectate à me Tulliana verborum ornamenta, à quibus iā pridem ruri meo colendo agrum desueui: verum satis me facturum boni viri officio putabo, si in hoc rerum turbulentissimo statu, summa fastigia rerum sequendo, de rebus ipsis, pro mea tenuitate vos commonuero. Non temere in ore nostrorum maiorum vox liberæ electiōis frequenter repetitur. Si enim hæc ritè liberèq; transigitur, infi-

nitæ eam vtilitates concomitantur. Nam & suspiciones de præcipuo Reipub. ordine si quæ exoriantur hac via commodè tolluntur: & inter æquales amor confidentiaq́ꝫ præclarè stabilitur. Quodq́ꝫ maximum est, nouæ libertates à nouo Rege, sub interregno oportunè impetrantur, & veteres si quid in eis exorbitatum est, dum nullus obstat funere regali super loculum iacente, tempestiuè recuperantur vindicanturq́ꝫ. Absq́ꝫ istis commodis electiōis liberæ nomen frigidè sonat, friuolumq́ꝫ est. At vbi hos fructus expenderis, rem summi momenti, qua non datur maior, ad Rempub: attuleris. Legislator noster in prædicandis laudibus liberæ electiōis nimis multus est: at vbi ordo exigebat modum electionis seriatim exponere, ibi admodum breuiusculè sese expedit. *NEMO, inquit, IN REGEM POLONIæ coronari debet, donec vnanimiter secundum Leges & Priuilegia Regni ab omnibus ordinibus Regni electus sit.* Hæc sunt verba Legis. Qua autem via, quoue ordine procedendum erat in ea ipsa electione vt hæc vnanimitas solida nobis constaret, ibi tacuit. Atque inde fit quod nunquam sine aliq̃ strepitu electio transigatur apud nos. Et in annalibus Polonorum vix exemplum vnum liberæ electionis, exactè loquendo, inuenias cui non admixta sit aliqua vis, aut aliquod stratagema. Verum hoc non modo in Polonia sed in omnib⁹ propemodum nationibus vsu euenit, vbi certus modus non est præscriptus electionis, quo suppresso necesse est electores confugere ad compendia & media aliquando illicita, quorum præsidio tumultus multitudinis compescatur, & ad optatum finem res per se intricata perducatur. Inde fit quod nomen inane saltem electiōis liberæ iam diu retinemus, res autē ipsa tacitè euanescit, idq́ꝫ incuria nostra. Nec admodum irasci possumus viris quibus tum temporis exors quædam potestas à Deo datur. Exurgentibus enim turbis, & non aperientibus legibus viam, necesse est eos qua saltem patet semita, nisi carere velimus Rege, ad finem electionis properare. Alioquin enim tot voluntates hominum, fere semper inter se variantes, ad vnum subiectum ex quo omnes contenti sint, sine arte reducere impossibile est. Hæc vere & ingenue nos dicere nemo candidus negabit, q̃ saltem pænitius rerum naturam de quibus nobis est sermo, introspexerit. Quapropter monitor & hortator

hortator ad vos prodire volui Equites Poloni, vt hinc absque declaratione legis, aut saltem spe certa declarandæ, non discedatis, nisi patriam ve stram, tot difficultatibus implicitam, & proinde ruinæ obnoxiam reddere velitis. Vna hæc inter omnes quotquot erant retroactis seculis gloriosissimi Herois STEPHANI Bathorij, & serenissimæ virginis Annæ Iagelonidis aureo, vt dicitur, stillo notanda est, quæ quò ad analogiam legum libertatumq; ordinis militaris propius accedit, eò & decore speciosior, & autoritate magis legitima censenda est. Ab omnibus enim Palatinatibus, non præcipitatis commicijs: sed constanti perseuerantia firmatis, non semel nomine euulgato: sed bis terúe electione iterata, non Varsauiæ tantum: sed etiam Andriouiæ, non coniunctim in comicijs generalibus solum: sed etiam per prouincias particulatim decreto confirmato, non in aliquo priuato territorio vrbis, sed in loco ab omnibus designato, præconis voce proclamato, securitate munito, communi laudo firmato, hoc ipsum par regentûm propenso omnium animo, & voluntate serena ad eam dignitatem electum, euectum & confirmatum est. Cunctantibus quidem

bus quidem nunnullis primariis viris, quod non nouum est circa omnes electiones, sed iam ex eo numero non modica pars tam Polonorum quam Lithuanorum sese ad hũc sacrũ consensum Reipub: postea aggregauit. Quin etiam & reliqui pro suo amore in Patriam, qui semper in eis flagrans apparuit, dabunt hoc Reipublicæ spero, & viso tam glorioso pari coniugum thronum regalem ascendentium, illud triumphale lætanter nobiscũ canent: PROSPERE PROCEDE ET REGNA. Habemus enim magnam causam cur lætemur. Audimus namque non ex rumoribus: sed testibus honoratis in hoc illustri Principe, præter dotes corporis eximias, virtutem, autoritatem, scientiam rei militaris, & raram fœlicitatem, quæ quatuor graui iudicio vetustas in Ducibus summis requirebat, luculenter reperiri.

Sed reflectamus cursum orationis nostræ ad eam ipsam metam vnde digressi sumus. Vt declaret lex electoria admonet nos rei ambiguitas, exigit necessitas. Quis autem modus sit vobis sequendus, ipse mecum subdubito. Si id quod ea in re sentio aperuero, timeo ne notam arrogantiæ incurram, sin reticuero, vereor ne ea in re quã tractandam

ctandam suscepi: ineptus & tardus appaream. Mediam ergo rationem sequendam delegi. Enumerabo aliquot formas electionum ex quibus liberum erit cuiuis quam volet eligere. Nota est magnæ parti vestrum ratio eligendi Pontificis, quæ est duplex: altera illuminationis, vt vocant, cum in vnum virum omnium testimonio conspicuũ ac nemini parem suffragia certatim feruntur. Altera per suffragia Cardinalium, vbi maior pars cõcludit. Secundum exemplum in deligendo Imperatore, idque per septem virorum suffragia, quæ si pari numero sibi non cedunt, septimus hoc est Rex Bohemiæ, cui parti se aggregat, hic salutatur imprimis Rex Romanorum, & postmodum augustus Imperator. Tertiũ per balotationem, vt vocant, quam rationem Venetus populus qui perinde libertatis fama gloriatur atque Polonus, vt æquissimam, expeditissimamq́ꝫ sequẽdam putauit. Cuius rationem & formam his versibus breuiuscule comprehensam, videre licebit.

Ab omni Senatu & nobilitate triginta viri eligun
tur per suffragia.
a *Ex triginta per sortem nouem remanent.*
b *Nouem per septem suffragia quadraginta eligũt.*

Ex qua-

a *Nouem remanent hoc est eximũtur 21. schedulæ per puerum ex vase, & remanebunt nouem.*

b *Per septem suffragia, id est, si discumuenient inter se illi nouem, tum ad minus septem, hoc est maior pars concludit, & reliqui duo secedent Et sic ad finem vsque procedes exponendo.*

Ex quadraginta per sortem duodecim remanent.
Duodecim per nouẽ suffragia, viginti quinq; eligũt.
Ex viginti quinque per sortem, nouem remanent.
Nouem p septẽ suffragia quadraginta quinq; eligũt
Ex quadraginta quinq; p sortẽ vndecim remanent.
Vndecĩ per nouẽ suffragia quadraginta vnũ eligũt.
Quadraginta & vnus per viginti quinque suffragia
Ducem, idque iurati, eligunt.

Hi sunt tres modi trium præstantissimarum Rerumpublicarum nostra ætate, ex quibus vnum eligeretis, qui vobis magis placeret. Sed videtur hic postremus præ omnibus laudabilior. Primo quod in tali modo libertas omnibus conseruatur, confusio euitatur, ordo retinetur, & intra modicum tempus certo quodam & infallibili tramite ad candidatum eligendum deuenitur.

Adde non simpliciter sorti res tanti momenti cõcreditur, sed iudicium arbitriumq́ꝫ eligendi, grata quadam ratione cum sorte commiscetur. Nec simpliciter Dux eligitur, sed electores primo electorum creantur, quibus tandem facultas ab omnibus tanquam si ipsi per se eligerent, concedit.

Adhæc prauis artibus & corruptionibus commode obuiam itur, Nam vt qui aleam ludunt, char-

B tas illas

tas illas aliquoties intermiſcent, vt cuiuis impoſturæ occurrant, ita hic quoque quinque vicibus electorum claſſes ſurſum deorſumq́; miſcentur, vt quam accuratiſsimè peruerſorum technis vel minima feneſtra occludatur.
Quarto vbi tam arctè res expenduntur, nulla demum gens vel familia gloriari, aut plus ſibi arrogare in eligendo Rege poterit.
Adde quod æqualitas quæ eſt parens concordiæ, hac via mire inter ciues Reipub. contemperatur, ita quod omnes q̃t q̃t conueniunt exæquo gloriari poterint ſe participes fuiſſe electionis, itaque læti domos redibunt. Proinde vix alia ratio magis analoga legibus Polonorum reperiri poteſt.
Adhæc poſtquam infallibilis ratio veluti via regia ſemel legibus ſancietur, & hæc fama emanauerit, neque extranei moleſti erunt nobis deinceps cum ſuis legationibus, non raro Reipub. noſtræ noxiis, neque ij qui regni ſunt ciues relictis penatibus vt non raro accidit, timore adducti, ne quid derogetur legibus patriæ, ita cateruatim, non ſine grauiſsimo aliquando motu Reipublicæ accurrent. Sed iuſtæ magnitudinis numerus Senatorum cum equeſtri ordine, pacatis animis vniuerſum negocium tranſigent.

Et quoniam quæſtio de Primate Regni, & quisnam renunciator debeat eſſe noui Regis non parum quoſdam exercet, imò etiam totam actionẽ electionis, vt nunc veluti in ſpeculo videre licuit, conuellit & cõturbat, ideo legibus ſanciatur quæſo, vt ſicuti circa actum coronationis præſul conuerſus ad ordinem equeſtrem alta voce interrogat: IVBETISNE CORONARE REGEM, ita circa actum electionis, vbi pluris intereſt, is cui commitetis, conuerſus ad vniuerſum conſeſſum ſenatorum ac militum, ante ipſam nominatiõem interrogare debet: iubeantne nominare ex decreto cõuentus hunc & hunc Regem. Res profecto hæc & electo & electoribus ipſis honorifica, tum etiam ad tutandum ius liberæ electionis perneceſſaria. Tolleturq́; protinus hac via illa contentio, equiſnam debeat renunciare Regem, poſtquam ab vno homine ad omnes transferetur prærogatiua illa qua ſibi præſul ſolus Regem nouum nititur quodãmodo obſtringere. Nam reuera dicendum eſt: Electio Regis niſi re ipſa libera ſit, plus detrimenti & ignominiæ quàm gloriæ Reipub. adfert. Et honeſtior eſt conditio illorum populorum quibus in cunis

 naſcuntur

nascuntur Reges quam si tali modo eligerentur.
Cum enim nascuntur, à Deo quales quales sint
veluti donati esse creduntur. Cum verò inuerso
ordine obrepunt, gloriatio omnis ad quosdam
nõ sine dolore reliquorum ac etiam quærulis vo-
cibus, transcribitur. Comprimis autem ad electi-
onis actum adeoque ad omnia Reipub: munia
obeunda, voluntatum concors æquabilitas requi-
ritur, quæ magna ex parte ex religionis consensu
dependet. Quapropter Serenissime Rex v-
na cum serenissima Regina, si seculum vestrum
florẽs reddere vultis, prima cura incumbit vobis
vbi sceptrum Regni resumpseritis, incolas Re-
gni ad vnitatem religionis, aut saltem ad quandã
certam conformitatem, legibus Patriæ non con-
trariam, reducere. Et hoc est demum verè com-
ponere inter status discordias. Hoc à te Deus pro
eo munere quod in te contulit ἀντίδωρον reposcit,
hoc Reipub. istius vrgẽs necessitas requirit, hoc
leges efflagitant. Ad quam rem transigẽdam nõ
deerit tibi amplissimus, idemq; & prudentissimꝰ
Senatus huius inclyti Regni. Nos q̃q; inter po-
stremos qui istas causas sursum deorsumq; ab ine-
unte ætate reuoluimus T. M. operam nostrã hu-
militer offerimus. Deus fortunet ve-
strum Regnum.

DE BELLO TVR-
CICO DELIBERATIO.

SEd quia cum superiori causa de bello
Turcico deliberatio coniuncta est, i-
deo etiam hac de re forsitan oportu-
ne quædam coram vobis amplissimi viri dicent.
Cum scriptores Ferdinandi existimationem mu-
nire volunt, eo quod nunquam præliis se præsen-
tem committebat, affirmant eum non degenerem
Carollo fratri fuisse, spiritusq; militares ei non
defuisse. Sed quid? Communi infortunnio, inqt,
Regum totius Europæ adductus, maluit ꝑ Du-
ces bella geri, quàm se dubiæ aleæ præliorũ obii-
cere. Et reuera ita est. Nam nescio quo fato vi-
demus nationes bellicosas, quæ quondam Roma-
na arma exercuerunt, & Asiaticis ita formidabiles
erant, vt etiam Regnum Hierosolimitanum sum-
ma vi recuperatum multos annos armis possede-
rint, nunc propemodum militari laude à gentibꝰ
orientalibus spoliatas esse. Galli etiam multos
annos sanctè colunt fœdus cum Turcis, æquiori-
bus se temporibus seruantes. Veneti quoque cum

decreuiſſent bellum contra eoſdem ad decem annos ad imitationem Troiani belli, tandem vix exacto triennio, ad pacis ſtudia conſilium deflexerunt. Quin etiam Imperium ſuperioribus annis, vim vi, manum manu repellendo tandem iniquitate temporum adductum icto denuo fœdere, fortunæ manus conceſsiſſe videtur. Quid tandem Poloniæ, quæ quaſi in acie omnibus Chriſtianis nationibus, proſtat: ſequendum ſit, non eſt difficile iudicare. Prudentes ſane non abhorrebunt à conſilio iam trito, quod tot regna, tot natiões, & Reſpublicæ, admonitæ aliorum triſti euentu, ſequendum ſibi propoſuerunt. Agnoſcendaq́ eſt potentia Dei, quam in dextris hoſtium propter ſcelera noſtra, veluti in vagina Deus recondere voluit. Humiliemini ſub potenti manu Dei, inquit Spiritus ſanctus. Nec ſimus vaniſsimi contẽptores potentiæ hoſtium. Qui timet Deum, timet & tonitru eius, prouerbium eſt militare. Sumere bellum vel ignauiſsimo licet, deponere non licet. Ecõtra, ſi modò amicitiæ Imperatoris Turcorum à nobis honeſtior haberet̃ ratio, non omnino de pace, quam poſcimus omnes, adhuc deſperare poſſem. Quid autem me id vt credam mo

uet, ponam

uet, ponam rationes vnam & aliam, quas tamẽ iudicio meliori prudentũ, libẽter ſubiicio. Primum omniũ fides eorum in ſeruandis fœderibus, quam laudem præ aliis nationibus barbaris hæc gens peculiari iure ſibi deſumit. Quod liquet vel ex illo reſponſo Solimani ad Legatos Ferdinandi: Hoc, inquit, firmum teneatis quod noſter Imperator, ſicuti fortitudine & armis reliquos Chriſtianorum Reges ſuperat, ita iuſticia, fide, fœderum conſeruatione, eoſdem multum antegreditur. Poteſt & hoc confirmari vel ex illa luctuoſiſsima hiſtoria cladis Vladiſlai Iagelonidis.

Illo enim cõflictus tempore Amurates, & ſe ipſum & ſuorum militum animos non alio argumento efficatiore, expanſo velo crucifixi, erigere nititur ad ſtrenue rem gerendam, & prælium reſtaurandum quàm eo, quod ſibi bellum eſſet cum iis, qui fidei & fœderum ruptores extitiſſent. Et quamuis nunc non cum illo Amurate nobis negocium imminet, tamen conſtat hos Principes ſummos habere in domibus ſuis quaſdam peculiares viuendi regulas, quas etiam poſteritas tenere obligatur. Habet Auſtriaca domus ſuas inſtitutiones, habet & Othomanica inſtitutiones ſuas, à quibus

vel mini

vel minimum posteritati deflectere, flagicium est. Cum ergo Regnum Poloniæ cum illo feroci hoste, multis seculis fœdus confirmatum habeat, & nunc eius legatus ad id sancte custodiendum nos inuitet, profecto quod aliis magno constat, nobis cum gratuito offertur spernere, eo præsertim tēpore, absurdum esse videtur. Obiecerit autem aliquis, Turcam fœdera commodo suo metiri, quod neque nos diffitemur: sed addita distinctione: Nimirum quando illi est negocium cū Principe fluxæ fidei, aut cum inimico clam hostilitatem tegente, non autem cum antiquis & fidelibus vicinis. Tale quid accidit illis octingentis Germanicis militibus post deletum Rachandulphum ad menia Budæ, cum eos lanienæ Ianicærorum obiecisset. Rationem tamen decreti tam crudelis in eos lati ibidem færox Imperator non reticuit: Talia, inquit, ij pati digni sunt qui cum de pace agunt, bellum moliuntur. Miserat enim tum Rex Ferdinandus Oratores Constantinopolim ad sanciendam pacem, interea quadam occasione ad oppugnationem Budæ deuentum erat. Esto verò si non probitatis ratione fœdus nobis seruarit, tamen vel solo tot Regnorum fastidio id eum facturum sperandum est. Iam illo

tempore

tempore quo infantē Hungariæ Ioannem, ex arce ad castra euocatum in vlnis gestaret Solimanus, quando & pater horum illustrium Comitum à Gorka, vir æterna memoria dignus Andreas Comes à Gorka apud eum ibidem in castris legationem summa cum laude obibat, vndeviginti regnorum dominus ferebatur. At postea quot dominia, quot vrbes & insulas eum suo imperio adiecisse putatis? Non immerito ergo Imbraimus ille penes quem tum summa imperii erat, cum ab occidentalibus bellis eum auocare vellet, istis eum alloquitur verbis: Iam satis extendisti Regnum ô Solimane, vt iam graue sit tueri parta: atque tutelæ tedio, & nobili quodam contemptu alienis & semihostibus (de Ioanne Rege inquit, cui tum Regnum Hungariæ vindicabat) donanda censes. Neque hoc nouum est Monarchis. Quod enim Imbraimus de Turcis, hoc ille Scipio de Romanis cum iam incipiebat sua amplitudine Imperium laborare, perhibebat. Verè enim dictum est à Poëta de Monarchiis, quibus ideo quod ad summum fastigium rerum humanarum peruenerunt, veluti fatis vrgentibus diu stare negatum sit. In seq; inquit, magna ruunt.

Adepto

Adepto enim armis regno, præsidia imponi so-
lent, quæ quo amplius & remotius Regnum est,
eo ampliora firmioraq; esse necesse est. Quomo-
do autem credibile est, & quando hoc accidit, vt
vnius gentis præsidio totus in vniuersum orbis
teneri, & in officio contineri posit? Proinde Ro
mani, teste Liuio, rei tanta difficultate permoti,
ne in infinito versarentur, quod in omnibus acti-
onibus rerum humanarum est absurdo absurdius,
cum eorum monarchia latius quàm vnquam Ba
byloniorum Medorum Græcorumq; extendere-
tur, fines monarchiæ suæ describi voluerunt: Ab
Oriente quidem Euphratem flumen, ab Occidẽ-
te Gades, à Meridie Nilum, à Septentrione I-
strum (Hinc illæ triginta pyramides Danubio ad
seuerinum à Traiano iniectæ) tacite admonen-
tes reliquas gentes, dominio tot & tam opulento
rum regnorum quæ sunt intra hos fines ad ma-
re mediterraneum occupato, satis se formidabi-
les vires & opes habere ad consequenda reliqua
regna, si forte inuitis ansa daretur. Quare mo-
narchæ gentes illas remotiores nunquam suapte
spontè exagitandas censebant, nisi forte ab eisdẽ
superbè prius vel contumeliose irritarentur. In-
tellegebant

tellegebant siquidem eas nationes, & numero mi-
litum, & robore corporum natura esse munitas.
plusque periculi quàm vtilitatis ex eorum victo-
ria peti. Hæc Turcos quoque secum expendere
exemplo superiorum monarcharum, ad quorum
exemplum se quoq; illi conformant, credibile est,
maxime cum recordentur quàm tristi euentu Ba-
iazates attauorum memoria cum Tamerlane, Ma
chometes cum Valachis, Amurates cum Vladi-
slao belligerarint. Neq; ignotæ sunt eis vt vt dissi
mulent, vires Polonorum, quos excitare est totũ
Septentrionem tonantem in suam perniciem, ad
arma ciere. Vidimus ipsi ad Andriouiam in ea
expeditione tam strenuum, tam numerosum mili-
tiæ polonicæ florem. Hoc verò tantum ex tribus
palatinatibus iisq; non integrè congregatis. Nã
reliqui palatinatus, qui sunt triginta duo numero,
tantum per nuncios representare faciem Reipu-
blicæ, voluerunt. Quid si omnium fieret genera-
lis delectus? Prilusius ille Polonus vir diuturna
memoria dignissimus, cum ei aprimè cognitæ es-
sent res Polonorum, equitatum polonicum ad
summam ducentorum millium equitum, & totidẽ
peditum supputabat. Certe Carolus quintus ad

 Viennam

Viennam, initurus prælium cum Solimano, cum ex Germanis, Italis ac etiam Hispanis conscripsisset exercitum vix centum & triginta millia, peditum inquam maiori ex parte, quàm equitum, conflauerat. Magnum est ergo hoc beneficium Dei ô Poloni, si eas vires quas integras à maioribus accepimus, exercitio excultas, & arte militari instructas, posteritati relinquamus.

Ad tam florens Regnum te vocauit diuina prouidentia gloriosissime Princeps STEPHANE BATHORI, hoc tibi concredidit, huius insignia tibi porrigit: STEphanon siue coronam, quod iam diu fata vel ex nomine ipso te Regali fortuna iudicarunt dignissimum. Sceptrum, vt scias nos regere, gladium, vt hoc Regnum defendas, pomum, vt omnia prouidendo, ac nihil casui relinquendo, illud veluti in digitis noctu diuq; ante oculos verses. Nec dubitat Patria nostra quin tuas omnes vires, & cogitationes in hoc collaturus sis, vt cum lapideum inueneris, marmoreum relinquas. Atque vt nihil tibi possit ad bene beateq; viuendum deesse, hæc eadē Patria nostra, eadem liberalitate adiungit tuæ celsitudini serenissimam Annam, non minus dotibus corporis,

poris, quàm prudentia & morum constantia virginem lectissimam. In vobis duobus liceat nobis quæso adhuc dum viuimus videre reliquias domus Iagelonicæ, hoc est: bonitatem cum pari iusticia Sigismundorum, fortitudinem CHAbrorum, prudentiam œconomicam KAzimirorum. Optamusq; vt iam inter illos fortunatos Reges memoria tuorum mirificorum operum, reponat. Hoc nos de te sentire nobisq; audacter ominari, suadet tua iusticia ac temperantia, iubet fortitudo & prudentia, quarum inquam quatuor virtutum præsidio te euectum, & tanquam triumphali quadrigarum curru altius fulcro insidentem, vt nobis posterisq; nostris liceat videre, domitorem cœli & terræ DEVM Optimum Maximum submissē precamur. Et dicent omnes: Fiat fiat.

RATIO CREANDI ROMAni Pontificis.

PATRES Conclaue ingressi, diem integrum sequentem formandis legibus impendunt, ad Romani Pont. administrationem maxime necessariis, quibus patrum quisq; subscribens, iureiurando votoq; promittit, obtemperaturum se illis, si Pontifex factus fuerit. His actis, stato quodam die, prima comitia indicuntur. Mane autem eius diei, Patres omnes induti palliis à summo deorsum apertis, quas Croccias vocant, in Capellum vbi corpus Christi asseruari dicitur conueniunt. Ibi diuina Spiritus sancti sacra celebrantur. Quibus absolutis, suo loco disponunt se per subsellia. Quis autem quos eligere decreuit, in codicillo ante describit, huncque suo annulo obsignat. Inde tres ex patribus ad altare ascendentes, Decanus, videlicet Archipresbyter, & Archidiaconus, calicem, in quo eo die sacra facta sunt, ad medium altaris constituunt, custodes ipsi omnium, ac inspectores astantes. Post hæc eodem ordine procedunt & reliqui patres, atq; ante altare in genua procidentes, codicillum sigillatim in calicem demittunt. Id autem postq; ab omnibus factum est, tres illi (quos dixi) calicem ipsum ad cæteros, inferius consedentes, sublatum altius ostendunt, consistentesq; in subseliorum medio, vnde & spectari, & audiri à circũstantibus possunt, numerant mox codicillos, quorum vt conuenisse numerus inuenitur, singuli à Decano aperiuntur, & leguntur, ac Archidiacono proximo pronunciandi traduntur. Patrum quisq; papirum tenens, ac pugillare, quos quisq; eligit suo chirographo annotans. Nullus autem ex Alexandri III. constitutione, pro Pontifice haberi potest, nisi qui duarum partium ex Cardinalib⁹ integra suffragia tulerit. Qui numerus si ex codicillis adimpletur, tum Pontifex creatus est. Sin autem, liberum est cuiq; quem voluerit patrum, non electum à se scripto, voce eligere, quæ electionis ratio, accessus appellatur. Rarum est quempiam ex solis codicillis eligi, vocum accessio conficere totum opus solet. Alius est quoq; creandi Pontificis mos, qui per adoratiõem dicitur. Hoc autem est, quum duæ partes Cardinaliũ, non expectato, vt vocant, scrutinio, sed voce tenus omnium consensu, & voluntate quempiam ex Cardinalibus in Romanum Pontificem salutant, atq; venerantur. Qua ratione Paulus III. Iulius III. Marcellus II. & Paulus Quartus renunciati fuerunt.

Typis Matthiæ Wirzbietæ.